Morbio 23 (76)

Forma iuramenti

Ego Alexander de Vicecomitibus clericus Mediolanen Comendatarius Monasterij sancte Trinitatis de Capitelaćus Cistercien ordinis Mediolanen
dioc. ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque aplice Romane ecclie et domino nostro domino Innocentio pp viij suisque successoribus canonice
intrantibus non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet
ingerantur vel iniurie alique inferantur quovis quesito colore/ Consilium vero quod michi credituri sunt per se aut per Nuntios seu litteras ad eorum dampnum me sciente
nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem/ Legatum aplice sedis
in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo iura honores privilegia et auctoritatem Romane ecclie domini nostri pp et successorum predictorum
conservare defendere augere et promovere curabo. Nec ero in consilio vel facto/ seu in tractatu in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam eccliam
aliqua sinistra vel preiudicialia personarum iuris honoris status et potestatis eorum machinentur/ et si talia a quibuscunque tractari novero vel procurari impediam
hoc pro posse et quantocitius potero commode significabo eidem domino nostro/ vel alteri per quem ad ipsius noticiam possit pervenire. Regulas sanctorum patrum
decreta ordinationes sententias dispositiones reservationes provisiones et mandata aplica totis viribus observabo et faciam ab alijs observari/ Hereticos scismaticos
et rebelles domino nostro ac successoribus predictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam nisi prepeditus fuero canonica prepeditione.
Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam neque donabo/ neque impignorabo/ neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum
consensu Conventus Monasterij mei inconsulto Romano Pontifice Sic me deus adiuvet et hec sancta dei Euangelia.

Mar

A. Inghermmius
. p. . pardo.

A. de Meruialle
B. amisfoliens

F. B. ...
F. de S. uno

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872146813-10/fragment/page=0001

Forma iuramenti

Morbio 23 (76)

57

C. ~~1488~~ 1484

Tractat Alexandro [illegible]

XXIX, ~~149~~ 139

Sixto p. Alexandro Xtho [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1872146813-10/fragment/page=0002